

tiam pastorem et dispergentur oues gregis.
Postquam autem resurrexero precedam uos
in galileam. Respondens autem petrus ait
illi. Et si omnes scandalizati fuerint in te:
ego nunquam scandalizabor. Ait illi iesus. Amen
dico tibi: quia in hac nocte antequam gallus
cantet ter me negabis. Ait illi petrus. Etiam
si oportuerit me mori tecum non te negabo.
Similiter et omnes discipuli dixerunt. Tunc
uenit iesus cum illis in uillam que dicitur
gethesemani: et dixit discipulis suis. Sede
te hic donec uadam illuc: et orem. Et assump-
to petro: et duobus filiis zebedei: cepit con-
tristari et mestus esse. Tunc ait illis. Tristis
est anima mea usque ad mortem. Sustinete
hic: et uigilate mecum. Et progressus pu-
sillum: prociudit in faciem suam orans: et
dicens. Mi pater: si possibile est: transeat
a me calix iste. Veruntamen non sic ego